



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660**

S. Bonifacivs E. M. 5. Iunij.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42032**

finem utinam omnia parentum cum filiis certamina habeant, iuaret acies committere, & cantare claficum. *Ex Phil. Ferr.*

*Despiciendus à nobis hic mundus fuerat, etiamsi blandiretur, etiamsi rebus prosperis demulceret animum. At postquam tot flagellis premitur, tantà aduersitate fatigatur, tot nobis quotidie dolores ingeminat, quid nobis aliud, quam ne diligatur, clamar? S. Greg. 3. Dial. c. ult.*

S. BONIFACIUS E. M. 5. Iunij.

**B**ONIFACIO, & hoc, & Apostoli nomen Germania peperit, cum Winfridus olim vocaretur. Monasticen puer amplexus est, multum aduersante patre, donec iramisso divinitus morbo, pertinacia ejus est domita. Sacris initiatus Frisones Christianam disciplinam imbuendos, Pontificum deinde jussu, Germaniam universam excolendam suscepit, adolescentulis etiam in partem pii operis adscitis. In Boicam S. Sturmionem, Treveris Gregorium sibi junxit XIV. annorum adolescentulum, cum Anagnosten in triclinio perite agentis aures dedisset: capto enim egregie indolis experimento, unius congressus suavitate ad sui eum imitationem attraxit, ut palam dictitaret, suis se pedibus cum BONIFACIO orbem terrarum peragraturum, si equi copiam avari amici negassent. BONIFACII labores, & arduum LV. annorum à Sacerdotio ad martyrium usque actorum cursum quis explicet? in tanta saepe necessarii victus inopia, ut caelo com meatum ei submitti avium ministerio fuerit necesse. Frisonibus Christo nuper additis diem dixerat, quàm sacro Chrismate frontes inungeret: ii ex discipulis latrones facti, optime de se meritum cum LI. sociis peremerunt. Irruenti

in se barbaro Evangelii codicem BONIFACIUS ob-  
jecit, qui etsi discissus est, negant tamen ullam li-  
terulam eâ plagâ viciatam. Omnia ipsius facta  
dictaque admiranda sunt; illud sæpèpiùs repe-  
titum, nostra ætas multò veriùs quàm BONIFA-  
CIANA audiat; olim Sacerdotes aureos cum li-  
gneis calicibus fuisse; nunc aureos esse calices, sed  
ligneos Sacerdotes. *Ex vitâ apud Nicol. Serrar.*

*Nemo in Ecclesiâ amplius nocet, quàm qui per-  
versè agens nomen vel ordinem sanctitatis vel Sa-  
cerdotis habet; delinquentem namque hunc redar-  
guere nemo præsumit, & in exemplum culpa vehe-  
menter extenditur, quando pro reverentiâ ordinis  
peccator hondratur. S. Greg. in Pastoral.*

## S. NORBERTVS EP. 6. Iunii.

**N**ORBERTVS Dux ejus familiæ, quam Præ-  
monstratensem indigitant, summis aulae Im-  
peratoris honoribus perfunctus, cum mundo se  
abdicasset, suorum progressus atque incrementa  
ab ipsomet CHRISTO in cruce pendente est edo-  
ctus. Nocentissimam Tanchelini hæresin Antver-  
piæ tum grassantem, introductâ è suis coloniâ, ju-  
gulavit. Archiepiscopus post Parthenopoli, quia  
in corruptos civitatis mores liberè pro DEO, &  
dicebat, & agebat, multorum in se odia convertit,  
ut jam essent qui necem ipsi, sociis verò exilium  
minarentur; sed eorum insidias semper cæluna-  
eluser; tamen NORBERTVS, Servatorem æmula-  
tus, obviis nonnunquam hostibus iverit. MARIAE  
cultu se suosque æternum devovit; unde è VIR-  
GINIS manu vestem candidam (quâ mores suos  
tota hæc familia etiamnum monstrat,) ab Augsti-  
no verò Leges aureis literis exaratas accepisse  
memo-